C

LOCVS.

Multis naſcitur locis, ſyluis nempe, frutetis, campeſtribus, montanis, ſiccis & aquoſis.

TEMPVS.

Germinat ineunte uere, ab occaſu autem Vergiliarũ fructifera. Per Septembrẽ itaque ac Octobrem menſes carpitur, campos ſyluaſq; exornans.

TEMPERAMENTVM.

Oxyacantha adſtringit & deſiccat, atqueadeo quorundam ſententia frigida & ſicca in ſecundo eſt ordine. Fructus tamen tenuium eſt partium, & paululum quiddam inciſiuum habet.

VIRES. EX DIOSCORIDE.

Huius fructus potus & comeſtus, alui profluuium, & muliebrem fluxum ſiſtit. Radix trita & illita aculeos & ſpicula extrahit. Abortum facere tradunt, ſi ſenſim uenter ter radice feriatur aut perungatur.

EX GALENO.

Oxyacanthus arbor ut pyro ſylueſtri ſimilem habet ſpeciem, ita & facultates minimè diſſimiles. Quin & ipſi fructus. Pyri quidem ſylueſtris prorſum atq; abſolutè auſterus eſt, Oxyacanthes autem tenuium partium eſt, & modicè incîdit. Porrò arboris huius fructus, pyri ſylueſtris ſimilis non eſt, ſed Myrti potius fructui, rubens ſcilicet & † rarus. Habet uerò & nucleos. Cæterum non tantum eſus, ſed & bibitus omnes fluxionum affectus cohibet atque ſiſtit.

† ἀραιὸς uidetur legendum, ut eſt apud Dioſcor.

EX RECENTIORIBVS.

D

E baccis uinum exprimitur eodem ferè uſu, quo uinum ex mâlo punico. Condiuntur item acini uel melle uel ſaccharo ad reſtringendã ſitim, depellendamq; febricitantium malaciam, quorũ moroſum nimis palatum cibum ferre quemcunq; reſpuit. Elangueſcens appetentia grato huius acore recreatur.

DE OSYRIDE. CAP. CCVI.

NOMINA.

ΟΣΥΡΙΣ Græcis, Oſyris Latinis, officinis Linaria, nonnullis herba urinalis appellatur. Germanicè Flachßkraut / Lynkraut / Harnkraut / Vnſer frawen flachß / Wildflachß / Krotenflachß / Nabelkraut. Linariam autem dixerunt recentiores à foliis quæ Lini faciẽ referre uidentur.

Linaria quare dicta.

FORMA.

Virgultum ſarmentúmue nigrum eſt Oſyris, tenues uirgas lentasq; habens. In quibus foliola ſunt terna & quaterna, modo quina, interim & ſena, ceu Lini nigra initio, dein colore mutato ſubrubeſcentia. Iam ſi rem diligenter expendas, nullam deliniationis notam Oſyridi traditã, in Linaria dicta hodie deeſſe reperies. Siquidẽ hæc cauliculis fruticat nigricantibus, & qui ob ſuum lentorem haud facilè frangũtur, tenuibus, atris quoque foliis, Lini facie. Concolori denique ſemine tantiſper dum matureſcit, poſtquam ematuruit rubeſcente. Seneſcentes quoque ramuli nigritiam in ruborem uertunt. His accedit antiqui & manuſcripti herbarij teſtimonium, qui Linariam eam eſſe herbam tradit, quæ Dioſcoridi Oſyris dicitur, floremq; habere luteum inquit. Reſpondet etiam per omnia pictura.

LOCVS.

Paſsim in campeſtribus prouenit.

TEMPVS.

Floret æſtate tota & autumno.

TEMPE-

OSYRIS